



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam  
emissæ. In Deuteronomium**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae**

**VD16 B 9247**

Capvt XII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36133**

Exemplum illorū qui neq; deum neq; homines ueritē sentiunt quid uis agendū, ut non perdant principis aut dominorū gratiam. Impietas Ioab ubiq; describitur et tamen optimus coram hominibus dux erat & strenue omnia agebat. Ideo postea scriptura eum in catalogo fortium David non nominat, sed potius David mandat moriturus contra eum iudiciū, & à Salomone occiditur. [Abimelech.] lege Iudicum. 9.

Difficuit] uerbum, id est, factum &c. Difficue- rat domino semper hoc factum, sed iam hoc primum scriptura more suo dicit, quando deus uult iram suam & peccatum reuelare, ut ipse quoq; homo in conscientia sua sentiat peccatum deo displicere, quemadmodum hic facit per Nathan, & aliās per præcones uerbi sui prædicata lege.

## CAPVT XII.



Similitudine proposita, Nathan à Davide extorquet sententiam proprio ore se condemnantem. Et statim prædicatione legis condemnat Dauidem, sed ex animo resipiscentem absoluit euangelio, dicens, Dominus abstulit peccatū tuum, nō morieris. Habes itaq; hic insigne exemplū de ui legis & euangelij, de quo in locis suis Philippus noster.

Duo uiri, sunt David & Urias, ille habet oues & boues plurimas, id est multas uxores, hic unam

quem, id est uxorem, dilectam, Peregrinum licet acci-  
pere concupiscentiam carnis in Dauide, cui remediū  
secundū deum quærendū erat in proprijs uxoribus,  
ut Dauid neglectis multis proprijs, unam pauperis ra-  
puit &c. [Iratuſ.] Nimum ſuo ſe gladio

iugulat, Vide queſo ab initio huius peccati, quā in om-  
nibus aggrauetur, ut poſtea agnito eo grauius con-  
funderetur Dauid, & magis dei cōmendaretur miſe-  
ricordia. [Filiuſ mortis,] Id eſt, mori debet

propter hanc tam inſignem iniquitatem, & præterea  
ex bonis eius reddetur quadruplum ſecundum legem

**Tu eſ ille.** Iſta legis uerba occidūt (Exo. 22:  
Dauidem, id quod eſt legis opus.

**Ego unxi.**

Si uir mortis eſt qui aufert alienum à quocunq; homi-  
ne, quanto magis tu qui iſta facis in deū, qui præ ceteris  
te exaltauit? Quis unquā ſeruatorum grauiori pro-  
ditione potuit peccare in dominū ſuum atq; tu in deū?

**Quare contempſiſti.**

Vides radicem peccati eſſe, contemnere primum uer-  
bum domini. [Domū domini tui], id eſt dei,  
& uxores eius. Domini enim ſunt omnia. Similis locus  
Gen. 19. Dominuſ pluit à domino &c.

[Non recedet.] Completum hoc eſt in regno illo  
carnali, donec omnia interierint, uide hitorias. Nam  
aliud regnum quod non eſt peccati regnum, ex illo car-

nali regno parabatur, confirmandum filio Davidis,  
id est Christo, ut supra dictum cap. 7.

Ego suscitabo.

Vide historiam Absolonis, Adoniae, Ammonis filiorum  
David, & stupratis concubinas, & praeterea mortuus  
est filius iste ex Bathseba, De quibus quatuor filijs in-  
telliguntur quod David in eis perditis reddiderit quadru-  
plum secundum oris sui sententiam. ego autem hoc refero  
ad omnia quae postea David passus est, Caeterum senten-  
tia mortis auferatur a Davide quam contra se tulerat,  
dicens, Vir mortis est &c. quando ait propheta, Non  
morieis. Nam illam plus timuit. A morte deus liberat  
sed cruce nos praemit in salutem nostram, quemadmo-  
dum Adae & Euae cruce imposita praesit, & redem-  
ptionem a morte promisit, dicens, Ipsum conteret ca-  
put tuum, caeterum, In sudore &c. Verum ista Davi-  
dis crux non liberabat a peccato quod iam donatum  
erat, non magis quam illa crux quam sub Saule susti-  
nebat, quando adhuc non peccauerat, sicut neque crux  
Adae & Euae a peccato liberavit, ut non hinc confir-  
ment suas satisfactiones, Istis malis libenter David ca-  
ruisset, non erant electicia opera aut passionis, sed crux  
erat a deo imposita, ideo patienter tulit, ut infra ui-  
des cap. 15.

Deprecatus.

Quia grauiora, id est, mortis sententiam dominus ab-  
stulerat, sperabat & minora, id est, crucem cum si ro-

garetur ablatum, si forte non esset definita sententia, quemadmodum de Niniuitis legitur, sed uisa domini uoluntate mortuo paruulo, amplectitur dominam sententiam & hilaris incedit, gaudens q̄ a mala conscientia sit liberatus. Ad eandem quoq; conscientiam liberatam pertinet, q̄ cōsolatur uxorem super morte filij, forte etiā super conscientia adulterij, & dominus benedicit coniugio dando eum quem dilexit Salomonem. Hic iam restitutus est Dauid, iustus & sanctus ut ante, ita ut posthac conscientiam non habuerit peccati coram deo. i. nihil dānationis inde ueritus sit, id quod efficit uera remissio peccatorū ubi fide iustificaris.

### Dominus dilexit eum,

Id est, ex donis quibus donauit eū dominus, uisus est à domino diligi, erat enī adolescens formosus, integer, robustus, sapiens, pius, ut nihil in eo posset desiderari.

Igitur. Post interpositā historiam peccati Dauidis, reuertitur ad historiam expugnationis Amonitarum, Ioab optimus corā hominibus princeps, ut supra diximus, etiam id facit quod fidelem ducem decet, & gloriam uictoriæ non uult esse suam, in hoc gratificari uolens suo regi. Quod autem adeo crudeliter Dauid uindicat in Amonitas, signum est, q̄ non solum peccarint in Dauidis regnum per ignominiam seruis irrogatam, & per congregationem exercitus exterorum ut exercitum Israël opprimerent, sed etiā horrenda

blasphemia in deū Israël, quemadmodū supra propheta dixit, Blasphemare fecisti inimicos nomen domini.

Et tulit. Allegoria. Christus rex Iudeorum, gentium regnū occupat, quemadmodū in parabola euangelica dicitur, Abijt in regionem longinquā accipere sibi regnum. Crudelis uero Iudex erit blasphemantiū huius regni sceptrum, id est, sacrum euangeliū, quemadmodū & ibidem dicitur. Inimicos meos qui noluerunt me regnare super se adducite huc & interficite coram me. Traduxit in typo laterū. Heb. Combussit in forma cibus laterum.

## CAPVT XIII.



In hoc loco usq; ad cap. 19. uides Dauidi suscitari malum ex domo ipsius, quemadmodū prædixerat Nathan propheta, Amnon stuprat sororem, & iccirco eum occidit frater Absolon, Hic autem receptus in gratiā patrem regno eijcit, uxores patris uiolat, & insana temeritate perit. Ita uerbum dei de cruce Dauidis uerū fit, nec tamen minus, in istis tentationibus imò etiā peccatis, seruatur ipse, & stat apud deū firma promissio, Diligentibus enim deum oīa cooperātur in bonū &c. Nimum hic in Dauide tentabatur fides promissionis de confirmando in æternum regno, Sua peccata eum undiq; impugnāt, semen regium & iniquitate coram